

CIRCA LIBRUM PRIMUM

PHYSICORUM.

QUÆSTIO II.

DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM IN
COMMUNI.

Principia rerum naturalium vocant Philosophi illa, ex quibus res naturales constant, et fiunt. Principium autem extra totam naturam, et quod movet naturam, est Deus; licet antiqui cæcipientes non solum erraverint circa principia naturalia, non agnoscentes generationes substantiales, sed etiam primis principii rerum naturalium, ex quibus natura ipsa constat, Divinitatem tribuerunt, cum tamen Divinitas soli illi principio, quod est extra et supra totam naturam, nec movetur in se, sed movet illam, tribuatur. Et ad investiganda principia ipsa rerum naturalium duplex patet via Philosophiæ. Prima, supponendo dari generationem substantialem, qua res de novo fiunt simpliciter; ex hujus enim ignorantia antiqui illi Philosophi in tam absurdas sententias declinarunt. Secunda, ex illo principio notissimo, quod ex nihilo nihil fit per naturam: inde enim deducitur debere dari aliquid subiectum, ex quo aliquid fiat, non solum secundum mutationem accidentalem, sed etiam secundum mutationem substantialem, et ita in se non debet esse ens actu substantia-liter, sed ens in potentia.

Ad investigandum autem principium, quod est extra totam naturam utitur Philosophia motu, non ut pendet a subiecto, et forma, ex quibus res mobilis constat, sed ut pendet a movente, et efficiente, quod requiritur ultra subiectum, et formam cum nihil se moveat, nec efficiat, ut in VII libro probabitur, et non sit procedere in infinitum: ergo datur primum movens, non motum ab alio, et hoc non est natura, quæ est mobilis, sed supra naturam.

Sic ergo in præsentem solum investigamus principia rerum naturalium, ex quibus componuntur, et constant res ipsæ naturales. Principium autem extrinsecum, et superius toti naturæ in VIII libro investigabitur. Primo autem inquiremus de principii in communi. Secundo, de quolibet eorum in particulari. Tertio, de composito quod ex illis resultat, tam substantiali, quam quantitativo.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit principium rei naturalis, et quomodo definiatur?

Principium loquendo in tota sua generalitate distinguitur a D. Thoma, v Met. lect. 1, a causa hoc modo quod principium ordinem quemdam importat ad principium at

vero causa importat influxum quemdam ad esse causati. Dividitur vero principium ibidem in illud quod est primum, vel in esse rei, sicut prima pars dicitur principium, vel in fieri rei, vel in cognitione rei, sicque definitur principium a Philosopho, ibi: *Quod est primum unde aliquid est, vel fit, vel cognoscitur.* Addit vero D. Thomas ibi, quod principia quædam sunt intrinseca, quædam extrinseca et inde discernetur, quomodo se habent ista tria principium, causa, et elementum: omnia enim dicuntur aliquam rationem primi, sed distinguuntur, quod principium est communius quam causa, et causa quam elementum; salvatur enim ratio principii, ubicumque salvatur ordo primi ad principium, et sic in Divinis processionibus invenitur ratio principii, quia invenitur ordo unius ab alio, et a quo alius, nec tamen invenitur ratio causæ, quia non invenitur influxus in esse, et consequio ipsius esse, licet invenitur principium esse, de quo videndus est D. Thomas I p., q. xxxiii, art. 1 ad 1. Similiter terminus a quo incipit motus et punctum respectu lineæ dicuntur principia sed non causa. Deinde etiam causa in plus est quam elementum, comprehendit enim causa tam intrinsecam, quam extrinsecam: unde cælum dicitur causa istorum inferiorum, sed non elementum, et similiter etiam finis est causa, et non elementum, sola autem causa intrinseca potest dici elementum, et sic minus late patet quam causa.

Principium sic generaliter sumptum includit tam principia Metaphysica, quam Physica, tam intrinseca, quam extrinseca, tam in facto esse, quam in fieri, et dicimus principia Physica sumendo ly *Physicum*: non pro eo solum quod est reale, sed quod est subiectum motui imperfecto, et corporeo, Metaphysi-

ca ergo principia sunt communia omni generi entis, scilicet actus et potentia ut dicitur XII Metaph., tex. xxvi, lect. IV apud D. Thomam. Principia vero Physica important actum, et potentiam non absolute, in omni latitudine, sed in genere mobili, seu transmutabili, et ita actus dicitur forma, potentia vero vel sumitur pro subiecto, et sic est materia, vel pro potentialitate, seu statu carentiæ formæ, et sic est privatio.

His positis, principia naturalia in communi loquendo definiuntur a Philosopho in hoc primo libro, tex. XLII, lect. X, apud D. Thomam penes tres conditiones, quæ ad illa requiruntur: Principia sunt, quæ non sunt ex aliis, nec ex alterutris, sed omnia ex ipsis; ubi solum definit prima principia naturalia, scilicet quæ simpliciter habent rationem principii, ita quod nulli modo sunt principia. Secunda autem principia, quæ sunt ex his primis, ita sunt principia, quod etiam sunt principia, et constantia ex aliis prioribus, et sic dicuntur non esse ex aliis, sed omnia ex ipsis, quia non habent alia priora, ex quibus principiantur, quæcumque vero res principiantur, ex ipsis sunt, et sic excluduntur ab hac definitione quatuor elementa, et ipsum cælum, quæ licet sint principia, non tamen sunt prima, sed ex aliis prioribus constant, scilicet materia et forma.

Dubitant tamen aliqui in præsentem, an Philosophus definiat hic principia naturalia quoad fieri, et generari, an solum quoad esse. Aliqui enim recentiores existimant, rationem principiorum non consistere in eo, quod non fiant ex aliis, nec alterutris, sed quod non sint ex aliis, nec ex alterutris. Unde videntur ab hac definitione excludere privationem. Sed oppositum expresse

tenet D. Thomas ut videri potest in hoc primo Physicorum, lect. XIII, exponens illa verba, cap. VII, text. XV: Sunt causæ, et principia eorum, quæ natura sunt, etc. ubi sic inquit: « Et notandum est, quod hic intendit inquirere Aristoteles principia non solum fieri, sed etiam essendi; unde signanter dicit, ex quibus primis sunt, et fiunt: » ergo hic definiuntur non solum principia rerum in esse, sed etiam fieri. Et ratio est, quia non traditur alia definitio pro principis generationis, quam pro principis compositionis, sed una dari potest pro omnibus principis in communi, nec alia quam istas; et ita convenit ista definitio, non solum duobus principis, quæ sunt principia in componendo scilicet materiæ, et formæ, sed etiam privationi, quæ est principium in fieri, et generari. Et idem sumitur ex verbis Philosophi in hoc primo libro, text. LXV in fine. ubi inquit: « Ex his scilicet materia et forma fieri, ea quæ fieret. » Et similiter in text. XLIII, lect. X apud D. Thomam dicit: « Quod prima contraria sunt, quæ non ex se mutuo fiunt; ut habet nova translatio, ubi antiqua dicebat, quod contraria non sunt ex alterutris. » Denique in V Metaphys., text. V dicit Philosophus: « Naturam dici uno modo, id ex quo aliquid est et fit, » et loquitur de materia, quæ est principium quantum ad esse, et quantum ad fieri, ut ibi explicat D. Thomas. Sic ergo definitio data non solum intelligitur de principis in esse, quæ componunt, et non contrariantur sicut materia et forma, sed etiam quæ contrariantur, et non componunt, et pertinent ad ipsum fieri sicut privatio et forma. Negare autem quod prima principia sint contraria, est aperte negare Philosophum, qui id affirmat in hoc libro, textu LII et LIV, et in hoc maxime commendat Philosophos

antiquos, quod posuerunt principia esse contraria; quam veritatem inquit D. Thomas in libro, lect. XII: « Naturali inclinatione ipsos fuisse consecutos. » Et denique frustra probaret Philosophus principia naturalia esse plura, quia sunt contraria, si in se contraria non sunt, sed solum exemplo contrariorum expli- cantur.

Ex his constat, quomodo explicandæ sunt illæ duæ particulæ in definitione principiorum, scilicet: *Quod non sunt ex aliis, nec ex alterutris*. Dicuntur enim non fieri ex aliis quia prima sunt, et dicuntur non fieri ex alterutris, quia prima contraria sunt, intelligitur autem unum non fieri ex alio secundum se sumptum, et quasi in abstracto sicut calor et frigus, vere tamen unum contrarium fit ex alio ratione subjecti in quo est, sicut ex calido fit frigidum, non quidem formaliter, id est ratione formæ, nec enim una forma est ex alia, sed subjective, et ratione materiæ, quatenus ex materia calidi educitur frigus, de quo videatur Philosophus X Metaphys., text. XIV, lect. VI apud D. Thomam. Et similiter unum contrarium fit ex alio, ut a termino a quo, ut statim dicemus.

Ex quo etiam colligitur, qua ratione dicitur, quod causæ sunt ad invicem causæ, non tamen principia ad invicem sunt principia. Ratio est, quia causæ in quantum causæ non habent contrarietatem inter se, sed potius dependentiam mutua, ita quod una causa conducit ad esse alterius, et in ipsis principis materia, et forma quia non se habent ut contraria, sed ut causa formalis, et materialis componentes totum, una ad invicem dependet ab alia, et causat aliam in esse, licet una non componat aliam, quia prima principia sunt simplicia, eo quod omnia resolvuntur in ipsa.

Cæterum in quantum sunt principia contraria, non possunt esse ex alterutris, quia contraria inter se repugnant, et se repellunt, non vero unum principiat alterum, neque intrinsece ut pars illius, neque extrinsece causando illud, sed solum potest unum extrinsece initiare aliud tanquam terminus a quo, sed hoc est per accidens, quatenus conveniunt in eodem subjecto, et unum succedit alteri, dum expellit illud, et sic initiat successionem ejus, ut terminus a quo, quod utique convenit illi ratione materiæ, in qua sit ista transmutatio, et successio.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur, contra illam particulam *ex aliis*, quia vel sumitur in tota sua amplitudine, ut etiam includit principia extrinseca, et sic etiam includitur efficiens, seu movens, et omnis causa extrinseca: vel sumitur prout solum dicit causas intrinsecas, seu partes componentes, et sic solum includitur materia et forma, non vero privatio, vel tandem includitur terminus a quo extrinsecus, licet non causæ extrinsecæ; et sic non sola privatio erit principium, sed etiam forma corrupta, quia etiam habet rationem termini a quo, nec se habet per accidens, cum non possit agens naturale, ex quolibet subjecto educere formam, sicut non potest equus generari ex lapide. Deinde, quia sumitur æquivoce *ly ex quo* in definitione principiorum, tam pro eo ex quo aliquid sit, ut a termino a quo, quam pro eo ex quo constituitur, ut ex parte componente. Denique non omnia entia naturalia privationem habent pro principio, sicut corpora cælestia, quæ sola creatione, et ex nihilo fiunt. Unde

hæc definitio solum complectitur principia rerum corruptibilium.

Respondetur, quod illa particula *ex aliis*, solum importat ea, a quibus res essentialiter pendet, sive in facto esse, sive in fieri, ut a componentibus, vel inchoantibus, eo quod principium, et principiatum ita se habent, quod principiatum resolvitur in principium: principium autem in quantum tale non resolvitur in aliud, nisi etiam sit principiatum, et ita in quantum principium non est ex alio. Causa autem efficiens, et quæcumque alia extrinseca, non includitur in definitione ista principiorum naturalium, ut dicemus articulo III, nec enim causæ extrinsecæ sunt principia, ex quibus natura ipsa rerum constat, sive in fieri sive in facto esse, sed efficiens dicitur *id, a quo incipit materia*, finis propter quem incipit, exemplar ad cuius imitationem fit, nulla vero causa extrinseca dicitur, ex quo aliquid fit.

Ad id vero, quod opponitur contra privationem. Ad primam replicationem dicitur, quod sola privatio sumitur ex parte termini a quo formaliter loquendo, et communiter ad omnem mutationem, formaliter autem quidem, quia ex aliis entibus non potest dici, quod aliquid fiat per se, et formaliter, sed solum materialiter, et per accidens, ut D. Thomas dicit in hoc libro, lect. X, sicut ignis, verbi gratia, potest generari materialiter ex pluribus rebus, ut ex ligno, ex papyro, ex aqua, etc. Formaliter autem fit ex illis omnibus, quatenus conveniunt in privatione ignis. Quod vero aliqua non possunt fieri ex quolibet, non ideo est, quia formaliter non fiat ex privatione, sed quia non semper materia est proxime disposita, ut ex illa forma educatur, vel uniat, sicut ex lapide non potest immediate fieri equus. Communiter autem se habet priva-

tio ad omnem mutationem, quia in omni mutatione et motu, etiam quando fit ex contrario in contrarium, invenitur ex parte termini, a quo privatio; nam contrarietas non exercetur sine privatione. At vero fieri ex contrario positivo non invenitur in omni mutatione, ut patet in generatione substantiali, et aliis instantaneis mutationibus, in quibus non proceditur a contrario in contrarium, substantiæ enim nihil est contrarium.

Ad secundam replicam dicitur, non sumi æquivoce illud terminum *ex aliis*, eo quod traduntur hic principia rei mobilis, non solum in esse rei, seu in facto esse, sed etiam in motu, et in fieri, et ideo explicari debet, tam de eo ex quo aliquid componitur, quam de eo ex quo aliquid fit.

Ad tertiam replicam dicitur: Principia rerum naturalium dicuntur tria, non quod in omni re naturalia requirantur, sed quia non plura, sint necessaria in omni re naturali, ita tamen quod in aliquibus omnia tria requirantur, in aliis duo sufficiunt.

Secundo, arguitur contra secundam particulam *ex alterutris*; videtur enim superflue poni, et falso. Superflue quidem, quia hoc ipso, quod principia non fiunt ex aliis prioribus, constat, quod non fiunt ex alterutris; esset enim unum prius altero, hoc ipso quod fieret ex illo. Falso autem, tum quia expresse Aristoteles in hoc libro textu XLIII et XLIV docet, unum contrarium fieri ex alio, verbi gratia, album fieri ex non albo, sed non ex omni, sed ex nigro, et ignem ex ligno: ergo falsum est quod contraria non fiant ex alterutris; tum etiam, quia in ipsis principiis, quæ sunt materia et forma, educitur forma ex materia: ergo materia est principium formæ, et forma est principia, et sic

unum principium est ex alio: tum denique, quia hæc definitio non verificatur de aliquo principio singulari, nullum enim in singulari datur, ex quo omnia alia fiant: ergo falso ponitur illa ultima particula *sed ex ipsis sint omnia*.

Respondetur, illam particulam *ex alterutris*, nec esse superfluum, neque falsam. Ad primam probationem dicitur, quod particula *ex aliis prioribus*, ostendit quidem quod principia ista sint prima, quia non sunt principia ex aliis prioribus: non tamen ostendit, quod sint prima contraria, nisi ponatur, quod non sint ex alterutris, et hoc ad differentiam causarum, quia licet sint primæ in suo genere, tamen ad invicem sunt causæ, quia contrarietatem non habent, sed mutuo se juvant: principia autem quia contraria sunt, non sunt sibi ad invicem principia, et ita non fiunt ex alterutris.

Ad secundam probationem dicitur, quod ut ipse Aristoteles docuit in hoc libro, capite VII, et ibi D. Thomas, lect. XIII, contraria dicuntur non fieri ex alterutris, sumendo illa in abstracto, et formaliter, sicut albedo non fit ex nigredine vel e contra; potest tamen unum contrarium fieri ex alio ratione subiecti et materiæ, in qua est, sicut ex albo fit nigrum, vel e contra ratione subiecti albedinis, sed hoc formaliter non est fieri unum contrarium ex alio, sed ex materia unius contrarii, quæ alteri contraria non est, sed in potentia ad ipsum; potest tamen unum contrarium habere aliud pro principio tanquam terminum a quo, sed hoc non convenit ipsi contrario, sed motui illius, seu fieri ejus, neque formaliter fit ex ipso, sed ex privatione, et sic utrumque dixit Philosophus in text. XLIII, scilicet: Quod album fit ex non albo, et hoc non ex omni, sed ex nigro; quasi dicat for-

maliter ex non albo, materialiter non ex omnibus, sed ex his quæ sui generis sunt, scilicet ex nigro, vel ex alio colore.

Ad tertiam probationem dicitur, quod forma educitur ex materia, et fit ex illa, eo modo, quo fieri convenit formæ, non tamen forma est contraria materiæ; principia autem dicuntur non fieri ex alterutris, quatenus contraria sunt, si vero non sint contraria, id non repugnat, et sic D. Thomas lect. XI et lect. XIII docet ex Philosopho, quod contraria fiunt ex invicem, si sumatur subiectum contrariis, fiunt enim ex ipsa materia.

Ad ultimum respondetur, quod illa particula *ex ipsis sint omnia*, intelligitur in sensu distributionis accommodatæ, scilicet quod omnia quæ fiunt, ex illis fiunt, licet non ex quolibet singulari omnia, sed ex quolibet id quod sibi conveniens est, sicut cum dicimus, quod omnia accidentia inhaerent substantiæ, non intelligitur in qualibet substantia singulari omnia, sed in tota collectione substantiæ, seu in toto genere. Et tamen materia rerum corruptibilium talis est quod ex qualibet materia potest fieri quæcumque forma, dummodo ad illam debite disponatur, quia est in pura potentia ad omnes ormas.

ARTICULUS II.

Utrum prima principia sint contraria?

Communiter principiis naturalibus attribuitur quod sint contraria, et prima contraria. Et ideo tria nobis explicando sunt. Primum, an omnibus principiis conveniunt esse contraria. Secundum, quid sit ista contrarietas principiorum. Tertium, quid sit esse prima contraria.

Circa primum. Aristoteles ut cer-

tum supponit etiam ex antiquorum Philosophorum placitis, principia esse contraria, ut patet in hoc primo libro, text. XLVIII, ubi D. Thomas, lect. X, inquit: « Quod Philosophi hoc dixerunt ab ipsa veritate coacti, » et hoc manifeste constat, quia in presenti agimus de principiis rerum mutabilium, quatenus mutabiles sunt, in omni autem mutatione oportet dari acquisitionem unius, et amissionem alterius: ergo necesse est quod interveniat contrarietas inter formam corruptam, et acquisitam: ita quod una forma habeat adjunctam privationem alterius, et consequenter oppositionem; nam ubi est privatio et forma privata, oppositum est, quæ largo modo dicitur contrarietas; est enim illa privatio adjuncta alicui formæ positivæ.

Ut autem videamus, quibus principiis conveniat ista contrarietas, oportet distinguere principia rei in facto esse, et in fieri, seu principia generationis, et compositionis; licet enim eadem res sit in fieri, et in facto esse, tamen propter diversum statum aliquid est de conceptu illius, ut est in ipsa mutatione, et fieri quod non est de conceptu ipsius in ipsa compositione, et in facto esse; de conceptu enim mutationis, seu generationis est, quod transeat de non esse ad esse, quod in re facta jam non invenitur, eo quod jam non transit, sed permanet in esse; unde aliud principium amplius assignandum est generationi seu mutationi, quod non assignatur rei genitæ, scilicet id, ratione cuius est transitus de non esse ad esse, et hoc est privatio; in generatione enim forma consideratur, non ut dans esse, sicut in composito, sed ut transiens de non esse ad esse.

Ex his respondetur primæ difficultati: Principia rerum in facto esse, et ut componentia non sunt

contraria, principia vero in fieri, et in generari contraria sunt, non ratione materie, sed ratione privationis, et formæ in materia. Utraque pars est communis Auctorum; et prima manifeste patet, quia materia, et forma in ipso composito non se expellunt, sed mutuo junguntur, ergo non sunt contraria. Constat autem materiam et formam, esse partes componentes ipsum totum et materiam appellere formam, et e contra, ergo non habet inter se contrarietatem, sed appetitum.

Secunda vero pars probatur, quia ubicunque est fieri, et motus, datur positio unius, et ablatio alterius, generatio enim unius, est corruptio alterius: ergo datur contrarietas, seu oppositio inter id quod corrumpitur, et generatur, seu inter formam, quæ est terminus ad quem, et id quod est terminus a quo. Et quia omnis contrarietas exercetur in aliquo subjecto, necesse est quod forma et privatio solum sint contraria, prout in materia, et materia prout privata, etiam impossibilitatem habet cum ipsa forma, qua privata est.

Ex quo constat contra Aristotelem, et veritatem loqui, qui contrarietatem negant primis principiis, et dicunt, quod Aristoteles solum usus est exemplo contrariorum ad declaranda ipsa principia, putant enim Aristotelem solum definire hic principia in esse, et non principia in fieri, quorum fundamentis respondebimus circa tertiam difficultatem.

Circa secundam difficultatem, scilicet quæ contrarietas inveniat in istis principiis, *dubium oritur ex eo*, quod ista principia sunt in genere substantiæ, nihil autem substantiæ est contrarium, ut dicitur in capite de substantia, non solum substantiæ completæ, et totali, quæ subjectum non habet, in quo con-

trarietatem exerceat, sed neque substantiæ incompletæ, ut formæ vel parti, quia in istis partibus non est dare magis, vel minus, cum non sint formæ intensibiles, et consequenter neque potest dari maxima distantia inter tales formas, quia ubi non est distare magis et minus, non est maxime distare, contraria autem sunt, quæ sub eodem genere maxime distant. Imo si ad perfectam contrarietatem hoc reducatur, quæ est inter extrema positiva, privatio non erit dicenda principium rei naturalis, sed forma corrupta et forma genita.

Respondetur, in principiis rei naturalis non posse dari contrarietatem proprie, et stricte dictam, sicut in accidentibus, sed largo modo pro privative oppositis, vel si inter ipsas formas substantiales attendatur oppositio potius est impossibilitas quædam, quam contrarietas, imo in hoc deficiebant antiqui Philosophi, quia ponebant principia esse contraria more accidentium, quia ipsi formas substantiales non agnoscebant, sed pro principiis contrariis assignabant calidum et frigidum, vacuum et plenum, litem et amicitiam, et aliqua similia, ut notavit Philosophus in hoc primo libro, capite v, textu XLIX, ipse autem in text. LII docet, substantiam nullius rei esse contrariam. Quare non potest poni in principiis rerum naturalium contrarietas proprie dicta, nisi cum antiquis ponamus, non dari formas substantiales, sed solum accidentales, secundum quas fit generatio.

Cur autem in substantia non inveniat contrarium, cum videamus formas substantiales esse positivas, et mutuo se expellere, et repugnare? Respondet optime S. Thomas, XI Metaphys. lect. XII, explicans dictum Philosophi ibidem, quod secundum substantiam non est quo-

tus, quia substantiæ nihil est contrarium. « Formæ, inquit, substantiales non possunt esse contrariæ, quia contraria sunt extrema quædam cujusdam determinatæ distantiæ, et quodammodo continuæ: cum sit motus de uno contrario in aliud contrarium. Unde in illis generibus, in quibus talis distantia continua et determinata non invenitur, non potest contrarium inveniri. Unde numerus numero non est contrarius, neque figura figuræ, eodem autem modo est in substantiis, quia ratio cujuslibet speciei constituitur in quodam determinato indivisibili. » Ita D. Thomas: quare attendendum est ad ipsam formam constituentem aliquam speciem, quæ si non admittat in se latitudinem secundum aliquam determinatam distantiam, sed solum habet indivisibilem modum constituendi speciem, non fundat contrarietatem, quæ est maxima distantia, seu ultima, atque adeo determinata respectu alterius formæ. Quomodo autem formæ substantiales habeant oppositionem, et se expellant? Respondet D. Thomas ibidem, quod hoc est secundum quod una forma habet sibi annexam privationem alterius formæ; nam privatio quodammodo contrarium est. Itaque principia rerum naturalium dicuntur contraria propter privativam oppositionem, quæ est principium contrarietatis, et sic forma et privatio sunt opposita, non autem materia et forma, nec materia et privatio, quia materia utriusque est capax.

Unde solvitur ratio dubitandi: dicimus enim, quod formæ substantiales non habent contrarietatem stricte dictam, sed largo modo pro oppositione privativa, quæ est principium contrarietatis. Nec sequitur quod forma corrupta potius erit principium, quia positive contrariatur formæ genitæ. Respondetur

enim, quod forma corrupta non opponitur formæ genitæ, nisi ratione privationis adjunctæ, non ratione specialis contrarietatis, quia utraque in indivisibili consistit, neque fundat oppositionem maximam distantiæ, cum nullam habeat latitudinem secundum magis et minus. Aliunde etiam non potest forma corrupta esse principium per se, et formaliter rei naturalis, etiam quoad generationem, quia non per se pertinet ad generationem unius formæ, quod fiat ex altera, sed ex non esse, eo quod contingit aliquam formam fieri ex diversis, sicut ignis potest fieri ex ligno, vel ex stuppa, vel ex aqua, etc. quæ omnia materialiter se habent ad generationem ignis, formaliter autem solum attenditur id, in quo omnia illa conveniunt, scilicet in non esse, seu privatione ignis. Aliquæ tamen formæ postulant determinari generari ex materia habente talem formam, verbi gratia, animal ex embryone, non propter principium generationis, sed quia non aliter disponitur materia, nisi transeundo per illam formam.

Circa tertiam difficultatem, scilicet quomodo prima principia dicantur prima contraria, difficultas est circa rem ipsam, scilicet in quo consistat ratio primæ contrarietatis, et circa rationem Aristotelis, qua probavit prima principia esse prima contraria. Ad hoc ergo intelligendum dicimus, quod triplici modo potest intelligi prima contrarietas. Primo, secundum generalem rationem, quia in unoquoque genere dantur prima contraria, id est, primæ differentiæ dividentes aliquid genus, ex quibus derivantur aliæ differentiæ, quæ constituunt species intermedias, et illæ primæ differentiæ constituunt prima contraria in illo genere, sicut in qualitatibus dulce et amarum dicuntur se-

cunda contraria, quia derivantur ex aliis contrariis prioribus, scilicet ex calido et frigido, siccio et humido. Et rursus in genere magis determinato, verbi gratia, in genere coloris primæ differentie, quæ sunt album et nigrum, constituunt prima contraria illius generis; colores vero intermedi, qui ex istis constant, seu derivantur, dicuntur secunda contraria, et ita docet Philosophus in hoc primo libro Physic. cap. vi, textu lvi, et ibi D. Thomas, lect. xi, et x Metaphys. textu xxiii, lect. ix, apud D. Thomam.

Secundo, specialiori modo dicitur prima contrarietas illa, quæ invenitur in genere substantiæ qualiscumque illa sit, eo quod substantia est primum genus inter omnia prædicamenta, ideoque oppositio, quæ in illa invenitur, dicitur prima contrarietas, et hac ratione dixit Aristoteles in hoc libro, text. lvi, principia esse prima contraria, quia est in eis contrarietas primi generis, id est, substantiæ.

Tertio modo adhuc specialius dicitur prima contraria, quæ privative opponuntur, eo quod privatio est principium contrarietatis, ut probatur in i Metaph. text. xiv, et sequentibus, et a D. Thoma ibi, lect. vi, omnis enim contrarietas includit privationem, non tamen omnis privatio contrarietas est; unde dicit S. Thomas, Opuscul. xxxvii, cap. ii: « Quod privatio et habitus faciunt contrarietatem, » ut dicitur i Physic. « Et ideo contrarietates reducuntur in habitum, et privationem tanquam in primam oppositionem, quæ est in genere. » Cum ergo in substantia non detur proprie contrarietas, sed privativa oppositio, quatenus una forma importat privationem alterius, manifestum est dari primam contrarietatem, id est, principium contrarietatis, quæ est privativa oppositio. Cur autem una forma dicat

privationem alterius, jam supra tetigimus, et latius infra, questione x.

Ex his explicatur ratio Aristotelis, qua probat prima principia esse prima contraria, quia conveniunt illis conditiones primorum contrariorum, quæ conditiones sunt tres. Prima, quod non fiant ex aliis prioribus. Secunda, quod non fiant ex alterutris. Tertia, quod omnia fiant ex ipsis. Prima conditio verificatur, quia ista principia sunt prima, et sic non supponunt aliqua priora. Secunda conditio verificatur, quia unum principium neque componitur ex alio, ut de se patet neque fit ex alio, ut ex termino a quo formaliter, et in abstracto, ut albedo non fit ex nigredine, licet per accidens, et ratione subjecti album fiat ex nigro, quatenus una forma succedit alteri, et ex una transit, et mutatur subjectum in aliam. Tertia denique conditio verificatur, quia reliqua omnia sunt principia, et derivata ex istis principiis in suo genere: ipsa vero sunt simpliciora aliis, et consequenter se habent ut principia, ex quibus alia fiunt, et sic habent conditiones ad prima contraria requisitas.

Sed objicies: Nam si principia, quæ hic definiuntur, sunt prima contraria, sequitur quod non definiuntur omnia principia rerum naturalium, et consequenter neque omnia sunt ex ipsis. Sequela probatur, quia non omnia entia naturalia fiunt ex privatione, ut patet in cælo, quod fit solum per creationem, non autem ex subjecto habente privationem, et tamen constat cælum esse ens naturale: ergo non omnia principia entis naturalis habent contrarietatem. Item etiam accidentia non semper fiunt ex privatione, sicut quando eadem accidentia in specie, quæ erant in corrupto, remanent in genito; ut idem color, vel eadem figura in homine vivo et mortuo;

tunc enim illa figura, quæ est in cadavere, non potest generari ex privatione talis figuræ. Denique, potest divinitus generari aliquid sine privatione præcedente; ut si Deus crearet ignem, et juxta illum materiam primam ultimo dispositam, tunc ignis ille suam formam produceret in illa materia, nulla privatione præcedente, quia nulla forma opposita præcessit, cui privatio sit adjuncta: ergo non requiritur quod principia sint prima contraria, id est, privative opposita: nam de materia et forma constat ex dictis, quod non sunt contraria, licet sint prima principia.

Ad primam partem argumenti respondetur, illo aliquos convinci ad asserendum, quod Aristoteles non definit hic principia naturalia quoad fieri, et generationem, sed quoad esse, et componi. Quod si verum esset, non attribueret Aristoteles primis principiis esse contraria, ut toties attribuit, nec diceret esse tria, sed solum duo: principia enim componentia rerum naturalium tantum sunt duo, scilicet materia, et forma. Dicimus ergo, quod definitio Aristotelis complectitur omnia principia naturalia tam in fieri, quam in esse, sed non eodem modo applicanda sunt pro omni statu, et pro omni natura; nam quædam sunt ex principiis naturalibus in esse, et componi, quædam etiam in fieri, et pro primo non requiritur privatio, neque contrarietas, et sic omnes res naturales sunt ex illis principiis, non tamen omnes sunt ex illis ut ex contrariis, sicut res incorruptibiles, sed accommodando singula singulis, omnia sunt ex istis principiis, quædam ex tribus, materia, forma, et privatione, quædam tantum ex duobus, scilicet materia et forma.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quod ea quæ fiunt consecutive ad aliquam formam, ut co-

lor, et figura, et reliqua accidentia, quæ similia sunt accidentibus corrupti, talia fiunt ex illa privatione, ex qua fit forma de novo genita, eo quod illa accidentia non fiunt primo, et per se, sed ut consecuta ad formam substantialem in quantum aliquid illius sunt, et ideo non requiritur alia privatio talium accidentium in subjecto, ex quo fiunt, nisi illa quæ directe est privatio formæ substantialis, et ex consequenti illius accidentis, quod comitatur illam. Supponit enim hæc solutio, quod non remanet idem accidens numero in genito, et in corrupto, ut in libris de Generatione dicitur.

Ad tertiam partem argumenti respondetur sequenti articulo ad ultimum.

Secundo arguitur probando, quod prima principia non possint dici prima contraria ex eo, quod sunt substantialia, et substantialia primum genus; contra enim est. Tum quia substantiæ nihil est contrarium, tum etiam quia eodem modo posset dici, quod præter principia substantialia sunt alia priora contraria, nempe forma communis, abstrahens a substantiali, et accidentali, et ejus privatio opposita: tum denique, quia contrarietas substantialis non est prima absolute loquendo, cum ex ipsa non sint omnes alie contrarietates, ut patet in cælis, in quibus datur contrarietas motuum, et tamen non oritur ex contrarietate substantiali quæ ibi non datur. Confirmatur, quia prima contraria fiunt ex alterutris, omne enim quod fit ex aliquo contrario fit, ut docet Philosophus in hoc primo libro, textu xlv et aliis locis, prima autem principia non fiunt ex alterutris, ut dicitur in eorum definitione: ergo non sunt prima contraria.

Respondetur quod substantiæ ni-

hil est contrarium contrarietate stricta, et proprie dicta, bene tamen oppositione privativa, quæ est principium contrarietatis, ut dictum est. Et ad secundam replicam dicitur, quod forma et privatio in communi abstrahens a substantiali, et accidentali, non dicit aliquam primam contrarietatem in existendo, et consando alias, sed in prædicando, et ita non constituit primam contrarietatem in re, sed per abstractionem intellectus cognoscitur. Nos autem loquimur in præsentibus de prima contrarietate, quæ in re existit, et exercetur.

Ad tertiam replicam respondetur non requiri ad primam contrarietatem quæ est prima ratio substantiæ, quod in ejus contrarietate omnis alia contrarietas fundetur, sed sufficit quod in substantia suscipiatur, et ab ipsa substantia causetur, non a contrarietate substantiæ; nec enim contrarietas substantiæ ex eo dicitur prima, quia ex ipsa deriventur alia secunda contraria, sicut in contrariis accidentalibus fit, sed dicitur prima quia genus ipsum substantiæ est primum in entibus; est autem primum quia sustentat, et radix aliorum, et sustentando causat, non autem solum contrariando, et sic in cælo invenitur contrarietas accidentalitatis, fundata in receptione, et causatione substantiæ, non in contrarietate.

Ad confirmationem respondetur utrumque esse verum, et quod contraria non fiunt ex invicem, sicut neque principia, sive per modum compositionis, quia unum contrarium non componit aliud, sed excludit, sive per modum termini a quo, si contraria sumantur secundum se, et in abstracto, et sic pari passu currunt cum primis principiis. Et similiter est verum, quod unum contrarium fit ex alio, ut a termino a quo per accidens, sicut

album ex nigro ratione subjecti, seu materiæ, in qua unum succedit alteri, et fit ex alio: videatur D. Thomas I Physic. lect. XIII, super text. LXVII et X Metaph. lect. VI et lect. IX, circa finem.

ARTICULUS III.

Utrum principia naturalia sint tantum tria?

Aristoteles in hoc primo libro, textu LXVII non absolute resolvit esse tria principia naturalia, sed esse quodammodo duo, quodammodo tria, scilicet esse duo principia per se, tria autem si etiam sumatur principium per accidens, quod est privatio.

Hinc ergo nascitur difficultas ex una parte, ad probandum esse plura principia quam tria, ex alia ad probandum esse pauciora. Ad probandum quod sint plura, fit duplex argumentum. Primum, quia etiam per se pendet generatio in quantum mutatio a movente, et efficiente, ut a principio extrinseco: ergo non est, cur excludatur a ratione principii naturalis. Unde et numeratur a Philosopho inter illa in XII Metaph. text. XXII ibi: Quare elementa analogice tria, cause vero, et principia quatuor, inter quæ numerat ipsum movens, et videri potest ibi D. Thomas lect. IV. Quod autem efficiens sit extra conceptum rei effectæ, nihil obstat, cum etiam privatio sit extra conceptum illius tam in facto esse, quam in fieri, cum semper se habeat ut terminus a quo relinquendus.

Secundum argumentum est, quia si privatio admittitur esse principium, ut terminus a quo etiam forma corrupta debet poni pro principio, quia etiam habet rationem termini a quo in ipsa generatione sub-

stantiæ. Nec dici potest, quod privatio est conditio per se requisita, ut forma producat de novo; produci enim non potest, nisi in subjecto ubi non est; forma autem, quæ corrumpitur, non requiritur per se. Contra enim est, tum quia aliquando requiritur, quod præcedat determinata forma, ut fiat determinata generatio, sicut forma cadaveris non fit nisi ex vivente, neque animal nisi ex embryone; tum quia non potest quodlibet fieri ex quolibet, sed ex materia habili, et disposita. Unde talisabilitas, seu dispositio non minus erit principium, quam privatio, quia per se requiritur, licet utrumque sit extrinsecum.

Ex alia parte videtur principia esse pauciora, quam tria similiter ex duplici argumento. Primum, quia forma non potest numerari inter principia naturalia in ipso fieri, seu generari; est enim terminus generationis: ergo non principium, et sic non bene numeratur forma inter principia naturalia in fieri.

Secundum argumentum est ex parte privationis, quia privatio formæ genitæ non est in instanti generationis: alias in eodem instanti esset materia sub forma, et sub ejus privatione, ante instans autem generationis quidquid præcedit in materia, sive dispositio sive forma corumpenda, sive privatio formæ generandæ, non conducit ad ipsam generationem intrinsece, et per se, sed per accidens se habet, quia sine illo posset salvari tota ratio generationis; ut si Deus in instanti generationis subrogaret novam materiam, in qua secundum antecedentiam temporis non præcessit aliqua privatio, seu dispositio, ut de facto contingit, quando ex hostia consecrata aliquid generatur: tunc enim in instanti generationis subrogatur materia aliqua ex vi prioris miraculi de novo creata, vel per conversio-

nem facta: ergo quidquid ante istas generationes præcedit, sive dispositio, sive privatio, sive altera forma per accidens se habent ad ipsam quidditatem generationis. Nec sufficit quod privatio præcedat in instanti naturæ, licet non in instanti temporis; sic enim privatio, et forma essent in eodem instanti temporis simul, cum antea non præcesserit privatio, nec postea dari possit; denique, privatio est non ens, seu ens rationis, ergo non potest esse principium rei naturalis, qualis est generatio.

Nihilominus, cum Aristotele in hoc primo libro, textu LXVII ex D. Thoma ibi et communi schola Peripatetica, assensendum est: Dari duo principia rei naturalis in facto esse, et quoad compositionem, scilicet materia et forma; tria autem in ipso fieri, et quoad generationem scilicet materia, et forma, et privatio. Et pro ejus intelligentia duo advertenda sunt. Primum est, duo genera principiorum posse considerari in rebus mobilibus. Primo enim considerari possunt principia communia, et præsupposita sicut est efficiens, et finis; hæc enim etiam extra mobilia inveniuntur, et ideo se habent ut principia communia, et præsupposita ad mobilia, et immobilia. Secundo, considerentur principia propria mobilia in quantum mobilia sunt, et secundum id quod ad motum requiritur, inquit Philosophus in præsentibus ex ipsa contrarietate, quæ ad motum seu mutationem requiritur; nam omnis mutatio necessario est transitus inter duos terminos a quo, et ad quem in aliquo subjecto, sine subjecto enim nulla fit mutatio, cum sine illo non detur receptio unius formæ, et abjectio alterius. Et subjectum vocamus materiam, et terminum ad quem formam, terminum a quo privationem, quæ est in materia con-

juncta formæ oppositæ. Et quia forma, quæ generatur, conjungitur materiæ, et manet in illa, oportet assignare principia compositionis, et in facto esse, scilicet materiam et formam quæ conjunguntur, sicut principia generationis assignantur ea, quæ ad mutationem concurrunt, scilicet terminus, qui relinquitur, qui est privatio et qui requiritur, qui est forma, et id in quo recipitur, quod est materia.

Secundo, est advertendum, quod licet antiqui Philosophi mutationem, et mobilitatem in rebus agnoverint, et similiter contrarietatem, quæ tum ad ipsos motus, tum ad segregationem, et distinctionem rerum omnino requiritur; et sic dixerint requiri principia contraria, quasi ab ipsa veritate coacti, ut dicit Philosophus in hoc primo libro, textu XLVIII. Sed tamen non statim assurrexerunt ad ponendam mutationem, seu generationem substantialem, et hoc processit ex ignorantia materiæ primæ non valentes intelligere aliquid medium inter ens in actu, et nihil, quod esset ens in potentia, et ita convincebantur illo argumento, quia si aliquid fit, vel fit ex ente, vel ex non ente; ex ente fieri non potest, quia quod jam est non fit, ex non ente multo magis est impossibile, quia ex nihilo fit: ergo non apparet, quomodo aliquid fiat per generationem substantialem. Cæterum quia generationes ipsæ satis experientia manifestantur, et quod aliquid oriatur, et interest quantum ad ipsam substantiam et non solum secundum accidentia, alias communia essent incorruptibilia et perpetuo durarent secundum substantiam, oportuit necessario ponere materiam primam, quæ esset ens in potentia, et non in actu, eo quod est primum principium generationis substantialis, et consequenter debet carere omni es-

se proveniente a forma substantiali, et consequenter omni esse accidentali, quia hoc necessario fundatur in esse substantiali, et præsupponit illud. Cæterum Plato, qui etiam materiam primam agnovit, per aliud extremum videbatur tollere generationem substantialem, quia dicebat materiam non distingui a privatione, quia non erat ens in actu, et sic erat non ens, seu nihil, non intelligens ens in potentia, medium inter nihil et ens actu, unde coactus est negare illud principium apud Philosophos firmissimum, ex nihilo nihil fieri, de quo videri potest D. Thomas I Phys. lect. xv.

Ex his ergo manifeste deducitur verissimam esse sententiam Aristotelis, quod dantur duo principia naturalia quoad compositionem, et in facto esse, et tria quoad mutationem, et in fieri. Primum patet, quia ea sunt principia compositionis, in quæ resolvitur quidditas, et ratio rei naturalis, unumquodque enim resolvitur in sua componentia, quidditas autem rei naturalis composita est, non entitas simplex sicut Angelus, homo enim ex corpore et anima constat, et in illa resolvitur, et sic reliqua entia naturalia resolvuntur in materiam et formam: ergo partes, seu principia compositionis sunt materia et forma, et sunt partes per se, quia quidditas ipsa rei naturalis in illa resolvitur tanquam in partes componentes quidditatem, nec aliæ partes assignabiles sunt, ex quibus quidditative res naturalis componatur. Quod vero distinguantur forma et materia inter se, q. III et IV seq. ostenditur.

Quod vero dentur tria principia pro generatione, seu fieri rei naturalis, scilicet materia, forma, et privatio probatur ex ipsa natura mutationis. Et quidem supponimus, non dici principia intrinseca ista tria generationis, quia generationem in-

trinsece componant, sed quia generatio ab illis essentialiter dependet. Etenim omnis mutatio positiva essentialiter est transitus de aliquo non esse ad aliquid esse, facit enim aliquid de novo, alioquin non mutaret; si nihil novi faceret, sed id quod antea erat, permaneret, si autem aliquid de novo ponitur, oportet quod antea non fuerit, et nunc sit, ergo necessario debet fieri ex privatione, seu ex non esse, et sic privatio principium mutationis est. Quod vero requiratur materia, constat manifeste, quia mutatio non fit, nisi transmutetur aliquid de uno ad aliud, ita quod ipsi termini mutationis succedant in aliquo subjecto, successio enim unius ad aliud extra omne subjectum nihil transmutat de uno ad aliud; subjectum autem mutationis materiam dicimus. Denique quod requiratur forma, manifestum est, cum sit terminus intentus, ad quem tendit mutatio; et sic dicitur principium mutationis, quia est primo, et per se intentum, et sic est primum in intentione, licet in executione sit ultimum, ubi consumatur totus motus.

Dices: Quomodo ergo Philosophus privationem dicit esse principium per accidens in hoc libro, textu LXVI, si perse requiritur ad generationem? Nec sufficit dicere, quod quia accidit materiæ appellatur principium si per accidens, nam hoc modo etiam forma sic diceretur quia accidit materiæ quod talis forma illi adveniat. Respondetur ex D. Thoma super illum textum, lect. XIII, quod privatio vocatur principium per accidens respectu materiæ, ut ad componendum ipsum totum assumitur, materia enim, quæ assumitur ad componendum, non assumitur ratione privationis, sed ratione entitatis, licet illa entitas habeat privationem adjunctam, quando trahitur ad constituendum totum, in hoc autem or-

dine constituendi forma non per accidens se habet, licet materiæ secundum se considerata dicatur accidere. Cæterum respectu ipsius mutationis, ut est transitus de non esse ad esse, privatio non se habet per accidens, quia sine ipsa non potest intelligi, quod aliquid de novo fiat, et sic novitas mutationis necessario constat privatione, ut termino a quo.

Ad rationes dubitandi a principio. Ad primam respondetur privationem esse principium extrinsecum ipsi rei naturali in facto esse, non tamen in fieri, ut explicatum est. Et ad replicam de causa movente, seu efficiente, respondetur dupliciter. Primo, quod causa efficiens, seu movens est quidem principium extrinsecum rei faciendæ, non tamen est peculiare, et proprium principium rei mobilis, in quantum mobilis est; nam etiam extra mobilia invenitur causa efficiens, et finalis, sicut Angeli habent causam efficientem. Unde cum sit principium commune rei mobili, et immobili motibus Physicis, et non Physicis seu spiritualibus, ideo non numeratur inter propria, et formalia principia entis mobilis, sed præsupponitur ut commune principali rebus mobilibus et immobilibus. Secundo, respondetur quod aliud est considerare mutationem, ut præcise effectus est, aliud ut est actio, vel effectus. Et quidem secundum formalitatem actionis essentialiter respicit agens a quo emanat, et similiter in quantum effectus pendet essentialiter ab efficiente. Cæterum formalitas mutationis non explicat istum respectum ad efficiens, licet supponat illum, sed præcise explicat transitum de non esse ad esse, sicut etiam forma, in quantum forma non respicit efficiens, sed in quantum effectus, in quantum autem forma præcise respicit materiam, quam informat, vel totum

quod constituit. Nec Philosophus in illo loco ex XII Metaph. asseruit esse quatuor principia, sed dixit esse causas causas, et principia includendo in ratione principii tria principia mobilitatis, in ratione vero causæ etiam causam moventem, vel id dixit, quia causæ sunt etiam principia, licet non e converso.

Ad secundam rationem respondetur, quod forma corrupta non habet rationem termini a quo formaliter, nisi ratione privationis formæ generandæ, ut enim forma de novo fiat per se, et formaliter solum respicit quod antea non fuerit, et sic fiat ex non esse sui, quod vero forma aliquid præcedat per accidens est. Ad id quod ad essentialem conceptum generationis, solum requiritur privatio, quæ invenitur in materia, quod vero ista privatio sit ad juncta alteri formæ, non propter istam generationem requiritur, sed propter ipsam materiam, quia non potest præcedere, nisi sub aliqua forma.

Ad instantiam de dispositionibus respondetur, quod dispositiones non sunt ipsa prima principia substantialia, sed media seu instrumenta, quibus determinatur, et applicatur materia ad istam formam, ista autem determinatio materiæ non se habet ut principium, sed ut applicatio; et determinatio principii, sicut in efficientibus applicatio non est causa, sed conditio.

Ad id quod additur de quibusdam formis, quæ non possunt immediate generari ex quacunque materia, sed ex materia sub tali forma, respondetur, hoc non pertinere ad principia communia entis naturalis, sed ad aliquam specialem formam, sive generationem, quæ fieri non potest, nisi ordine quodam præsupponat alias priores, eo quod aliquæ generationes ordine quodam fiunt, nec enim aliter supponunt materiam

habilitatam, sicut, v. g. vinum non potest fieri immediate ex vite, sed ex illa prodit gemma, inde uva, quæ cum matura sit confluit in vinum; et idem videre est in generationibus animalium. Cæterum totum hoc non constituit principia prima rerum naturalium, quæ debent esse simplicia, et communia omnibus, hæc autem non sunt omnibus communia, sed solum illis formis, quæ alias priores præsupponunt in materia, ut habilitetur ad illas: materia autem sub tali forma habilitata non est simplex principium, sed compositum quoddam constans ex forma et materia; in præsentem autem solum loquimur de principiis simplicibus, et simpliciter primis. Et præterea ipsa habilitatio materiæ ad aliquam formam non dicit rationem principii, sed applicationis, ut diximus, ratione ejus potius ipsa privatio est principium quam habilitatio, quia privatio se habet, ut extremum ipsius mutationis per modum termini a quo, non per modum applicationis ad mutationem.

Adhuc tamen instabis: Nam licet generatio sit mutatio de non esse ad esse, ideoque pro principio talis mutationis habeat privationem, tamen motus, qui non est generatio, sed versatur inter terminos positivos, non potest habere privationem pro termino a quo; alias esset generatio instantanea: ergo non assignantur principia communia pro omni mutatione. Respondetur ex D. Thoma, I Physic. lect. XIII. §. Ostendit, quod etiam in motu qui est de positivo in positivum, salvatur mutatio de non esse ad esse, eo quod contrarietas positiva privativam includit; in generatione autem, quæ non est motus, sed sola mutatio de non esse ad esse, datur privativa contrarietas, et non positiva, et sic in omni mutatione est verum, quod requiritur

privatio, licet in aliquibus inclusa non ut principium substantiale, et sit in contrarietate positiva. Et præterea principium rei naturalis, vel mutatio- terea in præsentem solum tractatur de principiis primis simpliciter, id est, non ut principium substantiale, et sit in contrarietate positiva. Et præterea principium rei naturalis, vel mutatio- terea in præsentem solum tractatur de principiis primis simpliciter, id est,

est, in genere substantiæ, in qua non invenitur positiva contrarietas, esse privatio cum forma et sic in sed privativa; et ideo solum assignatur privatio pro principio: in motu autem accidentali non erat necessitas tradere alia principia, quia illa non sunt prima simpliciter, et in genere substantiæ, sed ad substantialia reducuntur.

Ad ea quæ pro secundaparte obijciuntur: ad primum de forma respondetur, quod forma est principium rei naturalis in facto esse, quatenus est pars compositiva illius; est autem principium mutationis, et ipsius fieri, secundum quod præcedit id intentione moventis, et in quantum est aliquid simplex, in quo consumatur motus, non vero principiatum ex principii motus, hoc enim est compositum.

Ad secundam partem argumenti de privatione respondetur, quod privatio, non solum est annexa formæ corruptendæ, sed etiam ipsi materiæ, quatenus secundum se privata dicitur omni formæ, licet de facto semper sit sub aliqua. Unde materia nuda, sive præcedat in instanti temporis sive in instanti naturæ, ipsam introductionem formæ cum privatione illius præcedit, id est, cum aptitudine ad formam, et carentia illius.

Ad secundam probationem dicitur, quod privatio, quæ tenet ex parte materiæ, præcise sufficit quæ præcedat prioritate naturæ ipsam formæ introductionem, ut dicatur principium illius, tanquam terminus a quo. Dispositiones autem, sive præcedant tempore, sive non, nunquam possunt habere rationem principii, ut dictum est, cum dispositiones solum se habeant ut medium determinans materiam ad formam, non ut principium substantiale, et sit in contrarietate positiva. Et præterea principium rei naturalis, vel mutatio- terea in præsentem solum tractatur de principiis primis simpliciter, id est, non ut principium substantiale, et sit in contrarietate positiva. Et præterea principium rei naturalis, vel mutatio- terea in præsentem solum tractatur de principiis primis simpliciter, id est,

Et quando urgetur argumentum, quod in eodem instanti non potest esse privatio cum forma et sic in instanti, in quo est generatio non est privatio, respondetur, quod in instanti generationis privatio non est, ut efficiens subjectum, sed ut exclusio ab illo per formam quæ introducit, sicut terminus a quo non est, cum ipso termino ad quem in eodem instanti, quasi affliciendo subjectum, sed ut exclusio per terminum ad quem, licet præcedat vel existat immediate ante in materia. Cæterum si in ipso instanti generationis producat a Deo materiæ de novo, ut in casibus argumenti, tunc ante illud instans præcedit privatio in eo subjecto, in quo præcedit dispositio, quantitas enim quæ in Eucharistia separatur a subjecto gerit in omnibus vicibus ipsius materiæ, et subjecti corrumpendi. Unde eodem modo præcedunt dispositiones, et privatio formæ generandæ, sicut si ibi adesset substantia panis. Et sic nullo modo interruptur cursus, et ordo naturæ in generatione rei servandus. In ipso autem instanti generationis, in quo subrogatur materia, non ut dispositionibus ipsis disponatur, sed ut ipsum totum componatur in facto esse, cum ex vi prioris miraculi ibi ponatur, consequenter apponitur ut determinata et disposita, non quidem dispositionibus se receptis, sed in quantitate immediate antecedente, quæ gessit vicem subjecti, cui continuatur et succedit cum eadem determinatione materiæ quæ de novo ponitur; præsertim in sententia probabili, quod ipsa quantitas ex vi prioris miraculi, convertitur in materiam et consequenter in materiam dispositam et determinatam, et ideo eodem modo judicandum est de ista materia, ad

si talis materia præcessisset, sicut fit in aliis generationibus, præcessit enim toto tempore antecedente non in se, sed in quantitate gerente vices substantia, et ita recipiente dispositiones, et privationem ad formam generandam, in instanti autem ipso generationis privatio ipsa in materia non ponitur ut existens, sed ut expulsa, et ut terminus a quo solum prioritate naturæ antecedit formam, non existendo in eadem duratione, sed desinendo in subjecto; hæc est enim prioritas termini a quo in illo instanti, non prioritas existendi, sed abjiciendi, et sic non sequitur, quod in eodem instanti in quo duret, et existat privatio cum forma, sed quod abjiciatur, nec enim illa prioritas naturæ, est prioritas causæ potentis existentiam, sed terminum a quo, qui abjicitur.

QUÆSTIO III.

DE PRINCIPIIS IN PARTICULARI, ET PRIMO DE MATERIA PRIMA.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit, et quid sit materia prima?

Antequam definitionem materiæ primæ, quam Philosophus tradidit, explicemus, supponimus duo. Primum est, dari materiam primam. Secundum est, esse aliquid in re distinctum a forma. Quantum ad primam, nomine materiæ primæ intelligimus illam entitatem, quæ est capax recipiendi formas substantiales, in se vero nullam habet formam. Eam autem explicat Philosophus in hoc primo libro Physicorum ex analogia, et similitudine materiæ artificialium, sicut enim ex ligno, vel ex ære fit statua, et

lignum illud, vel æs secundum se, nullum esse statuæ habet, sed solum capacitatem ad statuam, licet in alio genere, id est, in ratione entis naturalis habeat aliquid esse, v. g. ligni, vel æris: ita illud quod etiam respectu rerum naturalium materia est, et subjectum, intelligitur nullum habere esse naturale, sed solum capacitatem ad illud, et hoc dicitur ens in potentia: unde dicit Philosophus VII Metaphys. textu VIII, lect. II, apud D. Thomam: « Illud dico materiam, quæ secundum se, neque est quid (id est, substantia in actu) nec quantum, nec aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur. » Et D. Augustinus XII confess. cap. VI: « Mutabilitas, inquit, rerum mutabilium capax ipsa est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid animus? Numquid species animi, vel corporis? Si dici posset nihil aliquid, est et non est, hoc etiam dicerem, et tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles, et invisibiles. » Ita Augustinus. Denique D. Thomas in hoc I Phys.; lect. XIII. « Cum videamus, inquit, hoc, quod est aer quandoque fieri aquam, oportet dicere, quod aliquid existens sub forma aeris, quandoque sit sub forma aquæ, et sic illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris se habet ad ipsas substantias materiales, sicut se habet æs ad statuam, et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam, et hoc dicimus esse materiam primam. » Sic D. Thomas.

Dari autem istam entitatem, sic potentialem, et informem ex duobus principiis, Aristoteles deduxit. Primo ex ipsa generatione substantiali. Secundo ex eo, quod naturaliter ex nihilo nihil fiat, et hoc secundum ex primo deducitur, quia si ex ni-

hilo aliquid fieret, ita ut tota ipsa rei substantia ex nihilo fieret, hoc ipso non esset generatio, sed creatio, et corruptio esset annihilatio. Unde non requirentur determinatæ dispositiones ad determinatas generationes, sed eodem modo posset fieri lapis, vel æquus, vel quæcumque alia res, quia si ex nihilo fit, ad nihil deserviunt dispositiones, ut determinetur magis ad unum, quam ad aliud. Si autem fit ex aliquo, et id quod fit ex substantia, eo quod generatio substantialis est, necessario supponit aliquid subjectum capax illius substantialis esse, quod de novo fit, et amittens esse, quod antea habebat, quia corrumpitur: ergo de se neutrum illorum habet, et consequenter solum est potentia ad utrumque.

Secundum quod supponimus est, hoc subjectum, seu entitatem substantialem esse distinctam realiter ab ipsa forma substantiali, quæ corrumpitur, et quæ generatur, quod tamen aliqui negaverunt, et ex antiquis apud Scotum in II, dist. XII, q. I, ex quo id referunt Conimbrienses super c. VII hujus primi libri, q. III, ar. III, et ex recentioribus aliqui id suscitaverunt, existimantes non dari duas entitates, quæ sint materia et forma componentes unum tertium, sed materiam et formam esse unum et idem ens, quod in quantum potentiale dicitur materia, et in quantum actuale dicitur forma, et sic agens, quando generat aliquid, convertit totum hoc ens in aliud ens, et hoc in quantum mutabile in aliud, dicitur materia, et potentialitas ad illud, sicut essentia objective considerata est in potentia ad existentiam, et sic Aristoteles considerat transitum materiæ de uno ad aliud, sicut transitum essentia de possibilitate ad existentiam, non sicut transitum subjecti de frigore ad calorem. At hoc modo dicunt intelligendum

esse D. Thomam quando docet implicare, quod materia existat sine forma, non magis quam ens actu sine actu, ut I p., q. LXVI, ar. I. Quod esset intelligibile si materia est entitas distincta a forma, non enim posset reddi existens, et ens in actu per entitatem illam distinctam.

Cæterum hæc sententia omnino rejicienda est, nec in D. Thoma ulum habet fundamentum. Nam D. Thomas perpetuo docet, materiam et formam esse partes componentes totum, materiamque distinguit a formis, nam in q. III de Veritate, art. V ad ultimum dicit: « Materiam proprie non habere essentiam, sed esse partem essentia, » et cap. VII de ente et essentia dicit: « Formam esse partem compositi, et ex ipsa et materia componi totum, » et VII Metaphys. lect. II: « Oportet, inquit, quod materia secundum sui essentiam sit alia ab omnibus formis substantialibus, et earum privationibus, quæ sunt termini generationis, et corruptionis, » et similiter in I Phys. lect. XIII, supra citata aperte dicit, quod illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris, dicitur materia prima: aperte ergo sentit, quod materia distinguitur a forma, sicut etiam Philosophus id sentit, dum docet, tria esse principia rerum naturalium, materiam, formam, et privationem. Neque fugit Philosophum hæc eadem sententia, quam impugnamus, quæ ponit ipsum totum quod corrumpitur esse materiam, quatenus est in potentia, ut convertatur in id, quod de novo fit. Proponit enim in VIII Metaphys. lect. IV, apud D. Thomam in fine hanc eandem dubitationem: « Quod cum ex vino fiat acetum, et ex vivo mortuum dubitatur, quare vinum non sit materia acetii, et vivum materia mortui, cum ordinentur ad ea, sicut potentia ad actum? » Respondit autem Philoso-